Incipit de opere et elemosinis Amen Le-
genti et facienti vita et pax operanti
Scribentique gratia et misericordia

[M]ulta et magna sunt fratres dilectissimi beneficia
diuina quibus in salutem nostram dei patris
et christi larga et copiosa clementia et operata
sit et semper operetur quod conseruandis ac viui-
ficandis nobis pater filium misit ut reparare nos
posset quodque filius missus esset et hominis
filius voluit esse ut nos dei filios faceret humiliauit
se ut populum qui prius iacebat erigeret vulneratus est
ut vulnera nostra curaret Seruiuit ut ad libertatem
seruientes extraheret Mori sustinuit ut immortalitatem
mortalibus exhiberet Multa hec sunt et magna
diuine misericordie munera sed adhuc qualis pru-
dentia illa et quanta clementia quod nobis salutari
ratione prospicitur ut homini qui redemptus est repar-
ando plenius consulatur Nam cum deus adueniens
sanasset illa que adam portauerat vulnera et venena
serpentis antiqua curasset legem dedit sano et pre-
cepit ne ultra iam peccaret Ne quid peccanti gra-
uius eueniret Coartati eramus et in angustum innocentie
prescriptione conclusi nec haberet quid fragilitas humana
atque imbecillitas faceret nisi iterum pietas diuina
subueniens iustitie ac misericordie operibus ostensis viam
quandam nobis tuende salutis aperiret ut sordes
postmodum quascumque contrahimus elemosinis abluamus
Loquitur in scripturis spiritus sanctus et dicit Elemo-
sinis et fide delicta purgantur Non utique illa que fu-
erant ante contracta Nam illa christi sanguine et
sanctificatione purgantur Item denuo dicit Sicut aqua
extinguit ignem sic et elemosina extinguit peccata
Hinc quoque ostenditur et probatur quia sicut aque sa-
lutaris gehenne ignis extinguitur ita et elemosinis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_159/0065
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG